Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1213
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 110. p. 2. *Incipit questio determinata per magistrum* (O. M. Rob.) *eliphat oxonie in anglia super p^m sententiarum.* Sic: *Queritur vtrum commensuratio premij ad meritum et pene ad peccatum que per studium theologie ex scriptura potest cognosci sit iuste a deo ordinata* &c. Finit: *nisi sesqui altera proporcione ad istam partem.* Novit Quaestionem hanc *Waddingus*, et ex eo *Tannerus*, quos de hoc Theologo adi.

DXXI.

U. 168 Codex chartaceus lat. confinis Sec. XIV. et XV. Folior. 227. f. per duas columnas calamo currente nitido exaratus, sed non uno, humore tamen multis locis vitiatus Collegio ducali, ut praenotatur, obvenit a. 1476. testamento Collegae *M. Petri de Corona* (Transsilvaniae?) Theol. Licent. AA. LL. Doct. *librorum originalium inquisitoris*, qui a. 1473. Rectoris Acad. munere functus erat. Continet autem *Francisci de Mayronis*, seu *Maronis*, aut *Majoranis*, quem alii *Provincialem Dignensem*, alii ex oppido *Vallis Barcinonensis* oriundum faciunt, O. M. Doctoris dicti *Illuminati* a. 1325. demortui *Commentaria in Librum I. Sententiarum Petri Lombardi*, quorum initium: *Circa prohemium primi libri sententiarum Primo quero vtrum primum principium complexum possit formari id est affirmari in theologia* &c. et finis: *pertinet ad alium habitum practicum seu ad artem, ergo &c. Et hoc de ista questione et per consequens de toto isto libro.*

Et sic est finis deo laus et gloria trinis.

Opus istud Viri e *Scotistarum* Triariis jam eodem anno, quo supra Collegio legatum est, typis *Mich. Manzoli Tarvisii*, dein *Basileae* a. 1489. per *Nic. Kessler f.* prodiit, ut posteriores Editiones taceam.

DXXII.

R. 496 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. olim 129. f. max. per duas columnas nitidissime exaratus, coloribus illustratus, et Literis, a quibus singulae *Distinctiones* incipiunt, deauratis et picturatis aliud praedicti Operis Exemplar est, sed cum initio, tum versus finem pluribus nunc foliis mulctatum. *Fol.* praevio legitur: *Liber fratris michaelis emptus padue nouem ducatis questiones francisci maronis super primo Sentenciarum.* Manus certe Codicis *Italica* est, quae ita subsignavit: *Anno a natiuitate domini M° CCCC° XLIX° Mensis nouembris Die vicesimo octauo* &c. Ad marginem prope alia manu adjectum: *Deo gratias. finiui repetendo die vltima octobris 1463. Inceperam autem repetere ante eodem anno in festo beati Gregorij.* In utraque Theca interiori visuntur adnotatae multae Expensae,